

Basis  $AB$  erigantur perpendiculares  $AI$  &  $BF$  continueturq;  $DC$  usq; ad  $F$ ; quo facto, æquabitur Parallelogrammum  $ABFI$  Rhomboidi  $ABCD$  dato, ob communem basin  $AB$  & æquales altitudines. Idem fiat in Rhombis etiam.



Quin & in Trapezijs, quæ opposita latera Parallela habent, quale in priori schemate est  $AICB$ , cujus latera  $IC$  &  $AB$  Parallela sunt, eadem celeritate petitum obtinemus, si nimirum tam ex minori quam ex majori latere Parallelo perpendiculara erigantur, ex illo nimirum ab  $IC$  perpendiculum  $CE$  ex hoc vero videlicet  $AB$  perpendiculum  $BF$ , ipsumq; latus  $IC$  iterum usq; ad  $F$  continuetur, ut  $CF$  æquale fiat ipsi  $EB$ . Tandem bisectis  $CF$  &  $EB$  in  $G$  &  $H$  ductaq; lineâ  $GH$ , habebimus Parallelogrammum  $AIGH$ , quod quærebatur, æquale Trapezio  $AICB$ . Quod si Trapezium aliquod ex utraq; parte acclivitates habeat, quale est id, quod *p. 61.* primo loco exstat, fiat ex alterâ etiam parte id, quod jam ostensum est.

## CAPUT XIV.

De

## LINEARUM ET LINEATORUM IN

Circulum adscriptionibus.

**Q**uia hætenus nudè & absolutè absq; respectu ad Circulum tractavimus, Lineas & Lineata, ea jam denuo tentanda, & qua symptomata patientur septo Circulari inclusa, videndum esset fusius.

Quia verò & præcedentia sub manu latiùs sese diffuderunt, interim dum omnia necessaria & conquisivimus & perspeximus, & horum tractatio etiam in volumen justum accrescere posset quàm facilimè: contrahemus & pertractabimus omnia quàm concisissimè uno hoc capite, ut ad reliqua tantò citius transcendere queamus.

N

Atq;